



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XXXII. Vtrùm suppositum creatum possit alienam terminare
naturam de potentia absoluta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 3. a. 1.

DISPUTATIO XXXII.

Vtrum suppositum creatum possit alienam terminare naturam de potentia absoluta?

§. 1. **P**ater Suarez disp. 13. sect. 4. vers. *Quocirca*, fatetur se non inuenire repugnantiam in sententia asserente subsistentiam non esse modum; sed rem absolutam. Eam esse rem absolutam ego dixi disp. 11. Metaphys. §. 50. auctores adduxi ibidem §. 55. Okam in 3. q. 1. litt. V. & X. Gabr. d. 1. q. 2. dub. 5. in eam inclinatur.

§. 2. Ob quod eadem disp. 11. §. 102. dixi posse diuinitus vniri subsistentiam creatam alienae naturae, cum multis auctoribus grauibus: illuc te reijcio, ne actum agam.

§. 3. Vtrum autem idem possit contingere si subsistentia esset modus; disputauit ibidem a §. 98.

§. 4. Auctores oppositi existimant oppositam sententiam esse S. Thomae, Caiet. P. Vasquez & alij Thomistae: sed eis non acquiesco: quia secundo argumento obiecerat, non posse vniri alienae naturae; quia persona est incommunicabilis. cui respondet S. Thomas, personam non esse incommunicabilem pluribus naturis: nam creata vnitur pluribus accidentibus. addit verò, *Hoc autem est proprium diuinae personae propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.* Itaque vniri non posse naturis accidentalibus, est proprium personae diuinae, quia est infinita, quibus vniri potest creata: at esse proprium diuinae personae vniri pluribus naturis substantialibus, non dixit: imò sicut in persona hominis vnuntur accidentia, ita vnuntur duae naturae substantiales partiales. In hoc ergo art. parum subsidij habent Thomistae.

§. 5. P. Valentia q. 3. punct. 6. ait posse produci suppositum, quod alienam terminet naturam: sed ex iam productis negat vllum id posse. Sed non video, vnde colligat hoc discrimen. Alij referunt à Bellarm. tom. 1. libr. 3. de Rom. Pont. cap. 12. asseri, probabilius esse hoc non implicare contradictionem: tamen hac de re nihil ibi decernit; sed ait ab his asseri, ab his negari, id implicare contradictionem. Origenes, & alij aperte senserunt angelum posse incarnari, cum id factum dixerint. Opinionem facti reprehendit Hieronymus prooemio in Malachiam, & in ca. 1. Aggæi: potentiam verò non negat, refertque à nonnullis eam sentiri. Cui parti adhæsi disp. 11. Metaphys. §. 102. cum Okamo, Maiore, Marsilio, & alijs. Nam suppositum creatum est res absoluta, cui non repugnat vniri rei sibi non connaturali, vt patet in humanitate, & anima comparatis vnioni hypostaticae, & gratiae: vt enim hæc eleuari possunt ad recipiendam vnionem & gratiam, licet sint primae illarum causae in genere causae materialis, & possunt perfici vnione & gratia: ita suppositum potest eleuari ad recipiendam vnionem cum alia natura, eamque perfici-

ciendam in genere causae formalis, & tribuendam illi denominationem sui: quia non sunt causae primae simpliciter, quia pendent ab alia prima, sed secundum quid, id est, in genere causae materialis, aut formalis; causa autem prima, quia nulli pareat imperio, non habet potentiam, per quam obediat & cleuetur. Nec, quia hoc potest fieri per potentiam obedientialem, sequitur posse ex natura rei ab agente naturali, vt patet exemplis plusquam sexcentis. Nec repugnat successiue vniri naturis sine termino, vt esse in locis infinitis. P. Suarez disp. 13. sect. 4. §. *Quocirca*, ait, non posse oppositum probari, si subsistentia creata est res, & non modus. Rogas, quid si sit modus, respondeo de hac re actum à me disp. 11. Metaphys. a §. 98. disquirente positivae modus de potentia absoluta vniri rei sibi non connaturali?

§. 6. Aluarez disp. 18. n. 5. asserit non posse naturam terminare subsistentia creata, vt principalem causam, sed vt instrumentalem. hoc repugnat: quia communicaret suum esse, quod est proprium causae principalis: ergo. Respondeo, in effectibus formalibus non esse locum distinctioni causae principalis & instrumentalis: quia id tantum est in causis efficientibus, quae non propterea sunt instrumentales: quia non communicant suum esse, cum causa æquiuoca sit principalis, & illud non communicet. item gratia potest diuinitus communicare gratiam, & suum esse, & non vt causa principalis, sed instrumentalis: est ergo causa principalis, cui formalitas respondet in effectu ab ipsa producto.

§. 7. Lorca disp. 23. n. 4. idem negat: quia non per potentiam naturalem, nec per superadditam: ergo. Respondeo, per eandem per quam humanitas terminat vnionem, & corpus Christi conseruat duo vbi: & duo vbi circumscriptiua sunt penetrata in eodem loco in duobus corporibus: est ergo potentia obedientialis: quae non solum est ad effectus supernaturales, sed etiam ad naturales, qui non possunt ex rei natura esse à tali causa.

§. 8. Item n. 5. arguit: Non potest fieri vnum per se: quia non ordinantur per se. Contra: Nec subsistentia Verbi, nec humanitas in ratione termini ordinantur inuicem. Respondet subsistentiam Verbi continere eminenter creatas. Bene: sed id non efficit vt per se ordinentur: ergo nec vt efficiant vnum per se, si illa ordinatio est de conceptu vnus per se.

§. 9. Respondeo ex disp. 10. Metaphys. sect. 2. maxime §. 26. vnum per se fieri ex duobus conceptibus constituentibus id, quod simpliciter dicitur res, vt homo, angelus, equus: ita contingeret in hoc casu: quia subsistentia Verbi, & humanitate constat homo, qui simul est Deus.